

**H**ieronymi Sceptii Senēsis Episcopi Suānen-  
sis epistola in orationem de trinitate dicatā san-  
ctissimo ac beatissimo domino nostro Innocētio  
octauo pontifici maximo.

**O**rationem beatissime pater quam de trinitate  
dixi his proximis diebus sanctitati tuæ dicare in-  
stitui: nā cū ea esset ratio solenniū cerimoniārū  
ut tu diligentissime illū diem ac munus semper  
obire solitus esses: & q̄ paucis ante diebus inuali-  
tudinez incidisses neq̄ dū te ex ea recreasses eaq̄  
de causa minus adesse potuisses q̄ erat institutū  
tuū: & q̄ ea prima esset oratio quā post hāc mihi  
tanto studio abs te delatā dignitatem habuissē  
statui esse cū officii & obseruatiæ meæ ut qui pri-  
mo in ea dignitate in qua essem abs te summa cū  
gloria cōstitutus digna aliqua laude scripsissem  
uel egissem tuo nomine ederētur. Tum illud res  
ipsa postulare atq̄ expetere uidebatur. ut is potis-  
simū meorū studiōrū fructū caperet per quem fa-  
ctū esset ut ea cōsequi potuerim sine q̄bus nec in-  
stitutū cursū tenere neq̄ ad hanc rerū cognitionē  
nec quo contenderē potuissē puenire. Quid  
eniz amabilius fieri poterat q̄ a tua sanctitate est  
factū: quæ officia quæ a charitate misericordiaq̄  
p̄ficiscatur abs te in meis rebus prætermissa sūt:  
quid nō cum summa & singulari charitate beni-

uolentiaq; perfectū: qui mihi primus spoliato &  
abiecto dexterā illam tuam fide misericordiaq;  
præstātem porrexisti: rebus omnibus afflicto &  
iacenti spem salutis ostendisti: omnium auxilio  
destitutū domū recāpisti: auctoritate gratia sub  
leuasti: a summa rerum omniū desperatione ad  
spem maximam reuocasti. Tu mihi omnia quæ  
ad uitam ducendam pertinebant: quæq; mihi eo  
tempore erāt maxima maximeq; necessaria præ  
stitisti: tu ocium ad litterarū studia tribuisti: tu  
grauissimis consiliis sanctissimis adhortatōibus  
ad honestatem ad laudem meā sponte & pa  
rentum disciplina incitatum impulisti: tu me ut  
filiū educaſti ſemperq; curaſti ne quid mihi de  
eſſe poſſet: poſtremo non modo me incolumē &  
ornatū eſſe uoluisti: ſed eā mihi ultro dignitate  
detuliſti qua maior in terris ulla eſſe nō poſteſt:  
& chriſtū domini me eē uoluisti ut ungerer oleo  
leticiæ in chriſto iheſu domino noſtro. Itaq; pa  
rentū beneficia dei optimi maximi munera pro  
pinquorum officia honores qui maximi a princi  
pe ſuo haberi poſſunt omnia mihi cumulata red  
didisti: ut cum magna propinquis innumerabi  
lia parentibus omnia deo imortali deberem: hæc  
omnia ſingula per illos habui: uniuerſa uero per  
te recuperauī. Quapropter quæcūq; in me bona  
ſunt aut nature beneficio tributa aut meo labore

& industria parta: ea oīa uni refero accepta sanctitati tuæ: nam & illa quæ amiseram nunq̄ nisi per te recuperassem: & ex his quæ retinuerā fructū nullū percipere potuissem nisi tua sūma in oēs in me diuina prope clementia extitisset. Quādo itaq; pater beatissime ego tot tantisq; tuis erga me meritis: quando omnes mei gratiā referent: quæ uis ingenii: quæ magnitudo obseruantia: quæ fides tot tantorumq; beneficiorum partem ullā cōsequi poterit: Quare cum uideam nullam fidem nullū genus obseruatia posse eē tantū quod possit tuorū erga me meritorum magnitudini respōdere: id agā quod sentio a uiris clarissimis ac sanctissimis desiderari: ut eorū dignitatem ac magnitudinem colam memoria sempiterna: sempq; cogitem nihil amabilius fieri potuisse. Est enim benemerati & constituti animi beneficia principis sui non solum magnitudine rerum sed quo animo quidq; fiat ponderare ac cogitare: sed non est huius temporis singula tua in me beneficia commemorare. Accipies itaq; hanc orationem in qua res perobscuras & in tota theologia perdifficiles breuiter & dilucide a me intelliges eē explicatas.

**H**ieronimi Sceptii Senēsis Episcopi Suanensis oratio de trinitate dicta in capella palatina ad reuerendissimos dominos Cardinales.

**C**um uenerit paraclitus quem ego mittā uobis a patre spiritū ueritatis qui a patre procedit: ille testimoniū phibeat de me: Ioānis decimoquīto & in euangelio hodierno.

**D**eum reuerendissimi domini nemo unq̄ uidit unigenitus uero filius qui est in sinu patris ipse declarauit: obscura est igitur diuina natura nec mente cōprehendi aut percipi potest: nemo enim cognoscit patrem nisi filius neq; filiū nisi pater: spūs præterea sanctus sic uidet ea quæ sunt dei ut spūs hominis ea quæ in hoīe sunt. Præter hāc aut primā beatamq; naturā a nullo unq̄ deus cognosci aut percipi potuit nisi ab his q̄bus se percipiū cognitumq; esse uoluit. nec solum hoībus incognita est diuina natura: sed etiam omnibus his creaturis quarum natura humanam omnem superat conditionem: ipsis etiam cherubim & seraphim. Quæ etsi ita sint nō tamen nos deus penitus reliquit in sui ignoratione uersari: nam diuino consilio ac uoluntate factum est ut natura omnibus insita & innata esset opinio uim aliquā esse diuinam. Neq; solum hac re cognitōnem sui deus atq; opinionē excitauit: sed lege moysi data & pphetis adhibitis qui diuino spiritu impulsi

futura  
diuin  
temp  
tur p  
perfe  
tame  
nostr  
tissim  
turba  
ipsa  
pes f  
ens o  
urilia  
gnos  
imbe  
nobis  
Hoc  
qui a  
accōn  
uim a  
rarū:  
fragil  
ui illa  
nostra  
sanctu  
testime

futura prædicerent & signorum magnitudine ac  
diuinitate uberius uim diuinæ naturæ potesta-  
temq; declararent. quæ cum nõ satis esse uideren-  
tur per filium suum unigenitum Iesum christũ  
perfectiorem nobis sui tradidit cognitionem: ea  
tamen moderatiõe adhibita ut eam imbecillitas  
nostra ferre posset. Cum enim optima ac præstã-  
tissima sit diuina natura inuidiæ aut alicui per-  
turbationi subiecta non est: omneq; bonum ex se  
ipsa semper effudit ac alios suæ bonitatis partici-  
pes facit. ut igitur omnia intelligens omnia intu-  
ens omnia prouidens & quid cuiq; conferat quæq;  
utilia sint. Quod nobis utile fuit suæ naturæ co-  
gnoscere id omnibus perspicuũ facit: quod uero  
imbecillitas nostra ferre nõ poterat id occultum  
nobis & procul ab humana cognitiõe esse uoluit.  
Hoc summi dei cõsiliũ secuti apostoli ceteriq;  
qui ad eorum imitationem omnes suas rationes  
accõmodauerunt spũs sancti diuinitate completi  
uim ac maiestatem diuinæ naturæ nobis decla-  
rarũt: & q̃tum deus ipse permittebat & humana  
fragilitas patiebatur dei cognitiõem tradiderunt  
ui illa sancti spiritus incitati. quamobrem auctor  
nostræ salutis hodie in euangelio dicit spiritum  
sanctum amplissimũ de sua diuinitate daturum  
testimonium. Ex uno enim spiritu per unũ filiũ

in unum patrem cognitio nostra p̄greditur. His  
& nos freti rationibus & eius auxilio qui dixit:  
Aperi os tuū & ego implebo illud: q̄tum mea fra-  
gilitas ferre poterit: primū breuiter probabo deū  
esse eiusq; substantiam nec cōpr̄hendi aut per-  
cipi posse: deinde unum tantum esse eūdemq; in  
tribus personis cōsistere: inuocato prius Mariæ  
uirginis auxilio quæ ad declarandam atq; osten-  
dendam filii sui diuinitatem præsens auxilium  
ac præsidium præstet dicens: Aue.

**O**mnia quæ sunt Reuerendissimi domini uel  
p̄creata sunt uel creatione caruerūt: Si itaq; pro-  
creata sint oīno ea mutari & cōuerti posse necesse  
est: quorum enim principium ut gignerentur &  
essent a cōuersione & cōmutatiōe cœpit illa & cō-  
uersioni ac cōmutationi subiecta sint necesse est  
aut interitu aut uolūtatis imutatione. interitum  
autem id appello cum in naturam aliam conuer-  
tuntur. Si uero creatione caruerint illud cōsequa-  
tur oportet ut conuerti omnino & cōmutari non  
possint: quorum enim esse contrarium: horum &  
qualiter existendi ratio contraria. Omnia itaq;  
entia: quoniam hoc uerbum iam usu recæptum  
est: neq; solum ea quæ sub sensum nostrum cade-  
re possunt: sed etiam illa quæ sola intelligētia cō-

præ  
mo  
te a  
mo  
ciar  
qui  
grec  
into  
lita  
tia  
uer  
tet  
rer  
ali  
uer  
tife  
nar  
cob  
doc  
par  
adm  
re n  
uida  
Ign  
natu  
hare

prehenduntur & cōverti & cōmutari & multis  
modis moueri facile possunt. Ea quidē quæ men-  
te ac ratione percipiuntur ut angeli animæ dæ-  
mones uoluntate cum acriore cum progressus fa-  
ciant in bono tum remissione: cum ex bono ali-  
quid studii curæq; detraxerint & quodāmodo re-  
grediantur. Cætera uero cum ip̄a gignuntur siue  
intereunt: augescunt siue iminuuntur aut qua-  
litate mutantur uel loco mouentur. Ea igitur en-  
tīa quæ mutabilia sūt p̄creata sint necesse ē quæ  
uero p̄creata sunt ea ab aliquo creata sint oportet:  
Artificem uero & fabricatorem creatione ca-  
rere necesse est. Si enim ipse quoq; creatus est ab  
aliquo profecto creatus sit oportet: quousq; per-  
uentum fuerit ad increatum. Increatus igitur ar-  
tifex omnino & incōmutabilis est. hoc autem qd  
nam aliud fuerit q̄ deus: Præterea & ipsa mundi  
cohærentia conseruatione atq; administratione  
docemur esse deū: cuius prouidentia oēs mundi  
partes & initio constitutæ sint & in omni tēpore  
administrentur: eo enim statu sunt quo cohære-  
re nullo mō potuissent nisi moderatē diuina pro-  
uidētia. Quonā enī pacto ad mundū pficiendū  
Ignis Aqua Aër Terra cum constent ex diuersis  
naturis inter seq; cōtrariis mutuo coniūgi aut co-  
hære potuissent aut p̄manere nisi cōciliatione

ac societate ui diuina coniuncta extitissent eaq;  
contineretur? Quid uero dixeris esse id cuius ui  
ac prouidentia omnia cœlestia quæq; in aqua ae  
re terraq; sint constituta sunt & ordinem suū di  
stinctionemq; acceperunt. Si quis certe tantam  
in stellis constantiam ordinem; tantam tam ua  
riis cursibus in omni æternitate conuenientiam  
temporum quæq; statis temporibus gignantur e  
terra cogitauerit: statuatur necesse est a mente diui  
na tantos naturæ motus gubernari. Quid id qđ  
omnia moueat nonne artifex horum? quem uero  
artificem potius esse dicemus q̄ eum qui cōdidit  
hæc omnia & qui ut essent causa fuit. Neq; enim  
tātam uim fortunæ tribuemus neq; dicemus tan  
tum casum fortunamq; potuisse: sed cōcedamus  
omnia hæc facta esse fortuito cuius fuit dispone  
re singula & ordinare ut suis quæq; ordinibus di  
stincta persisterent: sed hoc etiam dicamus fieri  
potuisse fortuna. Attamen hi mihi respondeant  
qui hæc dixerunt & quibus tam multa concedi  
mus cuius uis sit in omni æternitate conseruare  
custodire ac tueri hæc omnia his ratiōibus qbus  
primū ipsa substiterūt: atq; ita moderari ut pma  
nerēt & ex ea re salus & cōseruatio rerum omniū  
nasceretur? Alterius certe erit q̄ casus aut fortu  
næ: id autēz quid potius dixeris esse q̄ deū? Cum

itaq;  
bus  
atq;  
no  
eni  
def  
her  
situ  
pa  
ra  
lis  
rit  
tur  
con  
sen  
lut  
Qu  
seu  
qui  
bile  
hoc  
is q  
alte  
fert  
hi g  
usq;



itaq; deum esse perspicuum sit pluribus rationi-  
bus non est opus. Quæ uero sit eius substantia  
atq; natura compræhendi id penitus & cognosci  
non potest: incorpoream quidem esse constat: Id  
enim quod infinitū est quod figura ac specie qd  
definitione caret: quod sensu oculorum compræ-  
hendi non potest: quod simplex quod incompo-  
situm est corporeum esse non potest. Quo enim  
pacto erit præstans quædam atq; excellens admi-  
rabilisq; natura si circumscribi poterit & patibi-  
lis sit: aut quonam modo id impatibile esse pote-  
rit quod sit ex elementis compositum atq; cōcre-  
tum: & quod necesse sit ut in ea rursus resoluatur  
compositio enim principium est diffensionis: dif-  
fensio separationis: separatio dissolutionis: disso-  
lutio autem aliena est penitus a diuina natura.  
Quod si qui dixerint corpus esse a materia omni  
seiuñctum ut id quod a nonnullis phylosophis  
quintum corpus dicitur: quod quidem impossi-  
bile est: moueatur omnino necesse erit ut cœlum  
hoc enim quintum corpus dicunt. quis itaq; erit  
is qui hoc moueat: omnē enim quod mouetur ab  
altero moueatur necesse est: quod uero motum af-  
fert alicui ipsum quoq; aliūde agitari oportet: &  
hi gradus motus in infinitum progrediētur quo  
usq; deuenimus ad id quod ipsum non mouet

Ea igitur uis ex qua cæteris quæ mouentur fons  
& principium oritur mouendi ipsa immobilis est:  
quæ quidē est diuina natura. Quonā præterea  
modo fieri poterit ut id quod moueatur non sit  
loco circumscriptum. Soli igitur diuinæ naturæ  
imobilitas est tribuenda quæ omnibus per imo-  
bilitatez motum afferat: incorpoream igitur esse  
confitendum est. Cum uero oporteat eum qui ue-  
lit alicuius essentiam declarare non quid id non  
sit sed quid sit explicare atq; ostendere: in deo id  
nullo modo fieri potest: cū essentia eius penitus  
explicari aut definiri nō possit. proprius uero &  
conuenientius est omni definitione quæ ex rebus  
constat subducta de deo facere ratiocinationem.  
Nullum enim entium deus est nō ea ratione ut  
non sit id est qui est: sed qd sit ultra oīa en-  
tia: ultra ipsum præterea esse qui est. Si enim en-  
tia cognosci atq; intelligi possunt: id certe quod  
transgrediatur omnem cognitionem ultra essen-  
tiam quoq; sit necesse est. & rursus quod ultra es-  
sentiam etiam ultra omnem cognitionem erit, in-  
finita est igitur diuina natura & comprahendi  
non potest: & hoc tm̄ ipsius p̄cipi potest infinitas  
atq; incomprahensibilitas: mente tamen ut um-  
bra describitur atq; id qdem ualde tenuiter: non  
ex his quæ in ipsa sunt sed ex his quæ circa ipam

sunt  
pote  
chri  
tion  
tife  
ant  
nus  
qua  
om  
nec  
Ea  
ad  
ten  
rit  
tan  
esse  
pra  
tun  
auc  
Ait  
mir  
non  
eue  
ac p  
trah  
tern  
præ

sunt: dei enim essentia penitus compræhendi nō  
potest: sed ex similitudine ac magnitudine et pul  
chritudine rerum creatarum analogice .i. rata ra  
tione proportionis tenui quadam cognitione ar  
tifex consideratur anteq̄ percipiatur effugiens: &  
anteq̄ intelligatur elabens: ea de causa ut ait diui  
nus ille Gregorius: Hæc hæctenus ut ea ratione  
qua p̄cipi tenuiter pōt trahat ad se atq; alliciat:  
omnino enim quod compræhendi non potest id  
nec sperat aliquis se consequi posse neq; conatur  
Ea uero ratōne qua incompræhensibilis est ut in  
admiratione sit: quod uero admiremur plus op  
temus: optatum uero purget: cum uero purgauerit  
similes deo efficiat: qui cu; tales effecti simus  
tanq̄ domesticis iam congregiatur. Deum itaq;  
esse satis est declaratū cuiq; substantiam nec cō  
præhendi aut percipi posse: unum uero esse tan  
tum & nō plures hi qui sacris litteris fidem atq;  
auctoritatem tribuerunt dubitare non possunt.  
Ait enī deus: Audi israhel dominus deus tuus do  
minus unus est. Eorū uero peruersitas qui fidem  
non adhibuerunt ratōnibus est confutanda atq;  
euertenda. Diuina natura ita bonitate sapientia  
ac potestate cōstituta est ut ei nihil addi nihil de  
trahi possit: carens principio & interitu sempit  
terna incircumscripta & ut oīa uno uerbo com  
præhendā omnibus rebus absoluta atq; perfecta

Quod cū ita se habeat illud orietur ut si plures dicamus eē deos: necesse sit differentiā in multis cōsiderari atq; cogitari. qđ si nulla differentia in his sit unum potius deum esse q̄ plures confitendum est; Sin uero differunt inter se ubi nam erit perfectio? Nam siue bonitate siue potestate aut sapientia siue tempore aut loco debilior aut inferior perfecto inueniatur nequaq̄ fuerit deus: Sin uero per omnia fuerit idētitas unum potius esse deum ostendit & non plures. Præterea si plures dii fuerint quonam pacto incircumscrip̄ta seruabitur diuina natura: nam ubi fuerit unus nequaq̄ esse poterit alter. qm̄ præterea modo a pluribus mūdus administrari poterit ac nō potius interire atq; corrūpi cū in his qui illū gubernāt dissensio cogitari atq; intelligi possit: differentia enī dissensioem inducit. Si uero dixerit quispiā unū quēq; alicui mūdi p̄ti præesse eāq; administrare Quid id quod constituit ordinauit ac distribuit unieuiq; ut suā partē ac munus tueret. id certe fuerit potius deus. Ex quo efficitur unū esse deū perfectum incircūscriptum oīum rez̄ procreatorum continentem omnia atq; administrantē. Ad has rationes illud etiam naturæ necessitate accedit monada dualitatis esse principiū. Hūc itaq; unum & solum deum uerbum habere necesse est

præterea omnia incircūscripta sunt

id ue  
sista  
bitu  
sine  
se g  
tur  
fun  
bet  
ext  
per  
qu  
sol  
bu  
deu  
fec  
uer  
qu  
ma  
cur  
e m  
ips  
plu  
ra u  
ea q  
ditu  
ea u  
seip

id uero cum habeat nulla ratione quod per se non subsistat habebit neque quod esse coeperit aut sit finem habiturum: non enim esse potuit ut deus unquam fuerit sine uerbo: uerum semper habet suum uerbum ex se genitum non ut uerbum in hominibus gignitur quod quidem non subsistit per se in aeraque diffunditur: sed quod uim subsistendi ex semet habet: id enim *uigens* appello: uigens: perfectum: extra ipsum deum non progrediens sed in ipso semper existens: ubi enim erit si fuerit extra ipsum? quoniam uero humana natura fragilis est & dissolui ac confici facile potest: ea de causa etiam uerbum humanum subsistere per seipsum non potest: deus uero cum sit semper & perfectus existat: perfectum & quod per seipsum subsistat habebit suum uerbum semper existens & uigens & omnia habens quaecumque genitor habeat. ut enim uerbum humanum e mente progrediens neque penitus idem est cum mente neque omnino alienum a mente: cum enim e mente sit aliud est praeter ipsam: cum uero mentem ipsam in apertum producat atque ostendat non amplius aliud est penitus praeter mentem: sed natura unum cum sit aliud est subiecto: sic & dei uerbum ea quidem ratione quod per seipsum subsistat diuiditur seiungiturque ab illo a quo hypostasim habet ea uero ratione quod declarat atque ostendat eadem in seipso que circa deum conspiciuntur idem est na

tura cum illo: ut enim quod est omnibus rebus perfectum atque absolutum in patre consideratur sic & in uerbo quod ex eo genitum est considerabitur. Oportet autem uerbum habere etiam spiritum: Nam & nostrum uerbum non expers est spiritus: sed spiritus quidem qui in nobis est alienus est a nostra essentia: aeris enim est attracti & effusi uicissitudo ad sustinendam ac conseruandam corporis molem necessaria. qui quidem spiritus eo tempore quo hominem aliquid pronūciare contigerit uox uerbi efficitur & uim uerbi in seipso declarat. In natura uero diuina simplici pura & ab omni compositione seiuncta spiritum quidem dei esse confitendum est: ea presertim de causa ne sit dei uerbum inferius & debilius nostro si spiritus illi desit qui in hominis uerbo est: cum uero is insit in natura diuina non est pietatis nostrae aut diuinae maiestatis existimare aliena aliqua uel atque externa in deum ingredi spiritum ut hominibus qui compositi sunt accidit: sed quemadmodum cum uerbum dei audimus non quod per seipsum non subsistat neque quod ex disciplina aut institutione aduenerit neque quod uoce preferat in aeraque effundat ac dissoluatur putamus: sed quod essentialiter subsistat quod operetur & omnipotens sit. Sic cum spiritum dei didicerimus eum qui uerbum consequatur eiusque declaret actionem non spiritum qui per seipsum non subsistat cogi-

temu  
tus n  
mur  
tolle  
habe  
fiden  
requ  
neq  
qd c  
ad n  
scdm  
ta h  
ad c  
tien  
nec  
uer  
pte  
tate  
run  
one  
Re  
te d  
per  
rem  
opti  
plen  
gra

temus. Ea enim ratione si ex similitudine spiri-  
tus nostri eum qui in deo est talem esse suspicare  
mur maiestas diuinæ naturæ nimia abiectio-  
ne tolleretur: sed uim intelligamus quæ essentiam  
habeat: quæ ipsa in seipsa in propria hypostasi cō-  
sideretur quæ ex patre progrediatur & in uerbo  
requiescat ipsiusq; uerbi sit demonstratrix: quæ  
neq; separari neq; seiūgi a deo in quo est & a uerbo  
quod cōsequitur possit: quæ neq; redigi neq; refundi  
ad nihilū possit: sed quæ ad similitudinem uerbi  
scdm hypostasim sit: quæ uigeat: quæ in seipsa ui-  
tā hēat: quæ opetur: quæ semp bonū uelit: quæq;  
ad omne ppositū ac cōsiliū cōuenientē ac cōsen-  
tientē habeat cū uolūtate uim: & p̄cipio careat  
neq; sit finē habitura. Neq; enī unq̄ defuit patri  
uerbū neq; uerbo spiritus: Atq; hac ratione pro-  
pter eam quæ est natura in diuinis personis uni-  
tatem gentilium tollitur error qui plures uolue-  
runt esse deos: Per uerbi uero ac spiritus suscepti-  
onem iudæorum confutatur insania. Hæc habui  
Reuerendissimi domini quæ breuiter de trinita-  
te dicerem. Hunc itaq; deum in tribus distinctis  
personis sed una essentia consistentem & uene-  
remur semper & colamus. Cultus autem dei est  
optimus idemq; castissimus atq; sanctissimus  
plenissimusq; pietatis ut eum semper pura inte-  
gra incorrupta & mente & uoce ueneremur;

& cum omni creatura glorificemus: unam essen-  
tiam: unam diuinitatem: unam uirtutem: unam  
uoluntatem: unam operationem: unū principiū:  
unū dominatū: unū regnū: unam potestatem in  
tribus perfectis hypostasibus inconfuse unitis &  
inseparabiliter distinctis cognitam & cultā uno  
cultu creditam & ueneratam ab omni ratōnabili  
creatura patrem filium & spiritum sanctum qui  
simul æternaliter uiuunt & regnant per infinita  
sæcula sæculorum.

*Item xvij*

Ad A  
clēse  
protbo  
onī: in

Of  
S  
medioc  
relectu  
petaf.  
pia in  
curren  
ret: au  
gus p  
crozū  
conten  
quouis  
litem.  
ficanti  
salus.  
bito na  
bis re  
uit. D  
morte  
pientia  
pes: du  
nerē: a  
perfect  
prouin  
quotā p  
admon  
de myst  
cōritiō